



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

Vita Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Ex Annalibus Cardinalis
Cæsaris Baronii & aliis desumpta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)



VITA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI ANGLO- SAXONIS, EX ANNALIBVS CARDINALIS

Cæsarum Baronii & alii defumpta.



Sanctus & Venerabilis Beda Anno Christi sexcentesimo septuagesimo primo, temporibus Adeodati Papæ, & Constantini Pogonati, in Anglia, prope Monasterium Beatorum Petri & Pauli (quod, ut ait idem Beda libro 5. Hist. Ang. in fine, ad Wyrimudam & Ingridum situm est) natus fuit.

Dum septimum suæ ætatis annum, qui est Christi, 678. absolvisset, utroque parente destitutus, supradicto Monasterio curâ propinquorum traditus, ab eisdem Monasterii Abbatibus, Benedicto & Ceolfrido, viris sanctitate, doctrina & pietate celeberrimis educatus, à teneris virtuti & pietati simul affuevit.

Munimenta laborum ac studiorum suorum innumera, quæ posteris reliquit, eum non tantum Græcæ ac Latine linguæ peritum fuisse, atque in omni disciplinarum genere excelluisse produnt; Verum etiam Rhetorem, Historicum, Astronomum, Arithmeticum, Chronographum, Philosophum ac Theologum tantum, atque eo tempore tam mirabilem extitisse testantur, ut apud istius sæculi scriptores in Proverbium abierit: *Hominem in extremo orbis angulo natum, uniuersum orbem suo ingenio perstrinxisse.* Tria hæc, orare, scribere, & docere, ei per totam vitam familiaria fuere.

Decimo nono vitæ suæ anno, qui incidit in annum Christi 690. Sergii Papæ 3. & Justiniani Junioris 6. transacto, Diaconatus ordinem à Joanne Auguftaldensis Ecclesiæ Episcopo, iussu Ceolfredi Abbatis supranominati suscepit.

Quando autem ejusdem Ceolfredi mandato circiter annum ætatis suæ tricesimum, qui est Christi septingentesimus primus, & Sergii Papæ ultimus, Presbyteratus ordine insignitus fuit, totum se Religioni, & sacrarum literarum meditationi & interpretationi devovit: prout de se ipso in fine historię suæ Anglicanæ testatur his verbis: (Beda Dei famulus & Presbyter Monasterii Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Wyrimudam & Ingridum Qui natus in territorio ejusdem Monasterii, cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus Reverendissimo Abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo tempus vitæ in ejusdem Monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere, dulce habui.

Decimo nono autem vitæ meæ anno diaconatum, trigesimo gradum presbyteratus, utrumque per ministerium Episcopi Joannis, jubente Ceolfrido Abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti presbyteratus, usque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum, hæc in scripturam sanctam, meæ, meorumque necessitati ex opusculis venerabilium Patrum breviter annotare, sive etiam ad formam sensus & interpretationis eorum superadjicere curavi.) Hæc ipsemet Beda.

A Sergio Papa Romam vocatum esse, ut colloquio frueretur ejus, qui per famam virtutum & scientiarum toti mundo innotuerat, ejusdem Sergii Pontificis Epistola, quæ extat Tomo 3. Conciliorum generalium, indicat his verbis: *Opportuna ergo ac diuina amplectenda sollicitudinis tua petitionibus arctissima devotione faventes, hortamur Deo dilectam religiositatis tuæ bonitatem, ut quia exortus quibusdam Ecclesiasticarum causarum capitulis non sui examinatione longius immorescendis, opus nobis sunt ad conferendum arte literaturæ imbuti: Sicut decet devotum auxiliatorem sanctæ matris uniuersalis Ecclesiæ, obedientem devotionem huic nostræ exhortationi non desistas accommodare; sed absque aliqua immoratione religiosum Dei famulum Bedam, Venerabilis Monasterii tui Presbyterum ad limina Apostolorum principum dominorum meorum Petri & Pauli, amicorum tuorum ac protectorum ad nostræ mediocritatis conspectum non moreris dirigere: quem favente Domino sanctis tuis precibus, non diffidas prosperè ad te redire, peracta præmissorum Capitulorum cum auxilio Dei desiderata solemnitate. Erit enim (ut confidimus) etiam cunctis tibi creatus profuturum, quicquid Ecclesiæ generali claruerit per ejus præstantiam imperitum.*

Vnde quanta in eo fuerit modestia, quantusque externorum honorum contemptus, nemo non facili negotio intelligit: qui cum in scriptis suis frequenter Sergii meminit, hanc vocationem, quæ ad summam laudem suam spectare videbatur, silentio præterit. Fuertitne ad petitionem Sergii Romam missus, planè ignoratur: non ivisse, & ex Anglia ne quidem pedem ullum extulisse, verius esse

putamus. Nam quæ ad Historiam Anglicanam texendam, ex Ecclesiæ Romanæ Archivis petere opus fuerat, non à se inde allata, sed opera Nothelmi, qui sub Gregorio Papa secundo Romam venit, se accepisse restatur in t. pistola nuncupatoria ad Ceolulphum Regem, posita in fronte ejusdem à se conscriptæ historia.

Ita jam celebre erat nomen ejus, *ait Trithemius in vita Bedæ*, ut in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Et tantis planè condigna laus studiis, quippè qui ex eo tempore, quo legere poterat, à sacra lectione & studio minimè cessabat.

Semper mens devota studiis occupabatur salutaribus, quibus legit, scripsit vel docuit. Erat ei mos ex lectione vehementer accendi & compungi, ita ut sæpè inter legendum & docendum lachrymas calidas effunderet. Vnde post lectionem vel studium ad orationes sanctas doctor devotus se contulit, sciens magis Dei gratia quàm propriis viribus ad scientiam perveniri scripturarum. O virum cunctis venerandum seculis, qui & mentis habitaculum orationibus, & Ecclesiam doctrinis illustravit. Nullus unquam nostrum Bedam vidit otiosum. Vehementissimè amore studii sacri æstuabat, ita ut ne ad momentum quidem potuerit esse otiosus.

Cùm enim ad Monasterium puer intrasset, in tantum studendo profecit, ut non solum in sacris scripturis, sed etiam in secularibus literis ultra omnes Angliæ doctores peritissimus evaserit. Scripsit de omnibus artibus, quas liberales vocant, tractatus plures atque pulcherrimos. In extremo mundo, ut ita dicam, positus, Græcam linguam magna ex parte didicit, & nec Hebraicæ penitus ignarus. Habuit multos egregios discipulos, quos suo studio & exemplo ad amorem scripturarum inestimabili fervore provocabat. Nec solum studiis sed quodvis amplius est, religione & sanctitate, quos docuit, fecit insignes. Fuit autem vir per omnia magnificus, scientia & morum honestate venerabilis. Charitate siquidem refulsit gemmata sublimis, devotione præcipuus, castimonia vitæ gloriosus.

Erat autem decentis staturæ, incessu gravis, voce sublimis, ore facundus, vultu decorus, & quædam mixta jucunditati severitas. Vnde bonis & devotis erat affabilis, superbis autem & negligentibus terribilis. Se ita mansuetum & humilem cuoq; exhibuit, ut in toto monasterio vix haberet æqualem. Quicquid autem studendo & meditando de scripturis potuit apprehendere, sine invidia communicabat illis, quos idoneos viderat, & in amore scientiæ salutaris flagrantes. De tota Anglia viri consuebant ad eum, cupientes sub ejus magisterio & morum & scientiæ scripturarum incrementa suscipere. Nam ejus conversatio, intuentibus norma totius religionis erat & honesti. Et quid multis nitar sermonibus talis actantus erat vir iste sacratus, ut omnis laus ejus virtutibus sit prorsus inferior. O utinam tale jam studium amarent monachi; quàm felix esset status religionis! Amator verè scientiæ erat is, de quo loquimur; qui non bathologiam, sed virtutem in studio quærebat; nam incuriosus fuit, sed dulcis eloquii. Hæc Trithemius.

Anno ætatis suæ sub quinquagesimo nono, qui incidit in annum Christi septingentesimum trigésimum primum, scriptorum suorum Catalogum absolvit illum, qui ponitur ad finem Epitomes ante antiquum auctorem Anonymum, qui post eum res Anglorum est persecutus. In quo non sine magno detrimento Ecclesiæ plurima desiderantur, quæ vel injuria vel antiquitate temporum interierunt. Quæ verò huic non inserta reperiantur, vel post annum ætatis Bedæ quinquagesimum nonum scripta fuere: vel à posteris & discipulis Bedæ amantissimis servis inventa, & è tenebris eruta, simul cum aliis, quæ infra designantur, in lucem sunt emissa.

CATALOGVS SCRIPTORVM EIVS AB

Anonymo auctore compilatus, iste est:

In principium Genesis usque ad nativitatem Isaac, & electionem Israelis, & Ismaelis reprobationem libros tres.

De tabernaculo & vasis ejus, ac vestibus sacerdotum libros tres.

Item in primam partem Samuelis, id est, usque ad mortem Saul, libros quatuor.

De ædificatione templi allegoricæ expositionis, sicut & cætera, libros duos.

Item in Regum librum triginta quæstionum.

In Proverbia Salomonis, libros tres.

In Cantica Canticorum, libros sex.

In Esaiam, Danielem, duodecim Prophetas, & partem Hieremiæ, distinctiones capitulorum ex tractatu beati Hieronymi excerptas.

In Esdram & Nehemiam, libros tres.

In Canticum Abacuch, librum unum.

Item capitula lectionum in Pentateuchum Moyfi, Josue, Judicum.

In libros Regum, & verba dierum.

In librum beati Patris Job.

In parabolas, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum.

In Esaiam Prophetam.

In Esdram quoque & Nehemiam.

In Evangelium Marci libros quatuor.

In Evangelium Luca, libros sex.

Homiliarum Evangelii, libros duos.

In Apostolum quæcunque in opusculis S. Augustini exposita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi.

In actus Apostolorum libros duos.

In Epistolas septem Canonicas, libros singulos.

In Apocalypsim sancti Joannis, libros tres.

In capitula lectionum in totum novum testamentum, excepto Evangelio.

Item librum Epistolarum ad diversos, videlicet: De sex aetatibus sæculi una est. De mansionibus filiorum Israel una. De eo, quod ait Esaias: Et claudentur ibi in carcere, & post dies multos visitabuntur, una. De ratione bisexti una. De æquinoctio juxta Anatolium una.

Item de historiis Sanctorum, librum vitæ passionis sancti Felicis Confessoris, & de metrico Paulini opere in prosam transtuli. Librum vitæ & passionis sancti Anastasii malè de Græco translatus, & pejor à quodam imperito emendatus, prout ad sensum, correxi.

Vitam sancti patris, monachi simul & Antistitis Cuthberti, & prius heroico metro, & postmodum plano sermone descripsi.

Historiam Abbatum Monasterii hujus, in quo supernæ pietati deservire gaudeo, Benedicti, Ceolfredi, & Werthberti in libellis duobus.

Historiam quoque Ecclesiasticam gentis nostræ in quinque libros.

Martyrologium de natalitiis sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes, quos invenire potui, non solum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo iudice mundum vicerint, diligenter annotare studei.

Librum hymnorum diverso metro sive rythmo.

Librum Epigrammatum heroico metro sive Elegiaco.

De natura rerum, & de temporibus, libros singulos.

Item de temporibus, librum unum majorem.

Librum etiam de orthographia, alphabeti ordine distinctum.

Item librum de arte metrica, & huic adjunctum alium.

De schematibus & tropis libellum, hoc est, de figuris, modisque locutionum, quibus Scriptura sancta contexta est.

Ad quem autem annum Redemptoris vita pervenerit, quoto anno ætatis suæ decesserit, non satis constat. Marianus Scotus anno septingentesimo vigesimo nono. Sigebertus septingentesimo trigesimo primo. Trithemius septingentesimo trigesimo tertio: alii gravissimè aberrantes, septingentesimo mortuum esse contendunt. Verum ex scriptis ejus ait Baronius: *Certò certius elici posse videtur, ut alterum de duobus sit affirmandum; vel scriptum librum Bedæ absque controversia ipsi tributum ejus non esse, velex eo fateri, ipsum saltem pervenisse ad annum ætatis centesimum quintum. Etenim in ea Epistola inter alias ejus lucubrations superius numeratas. cujus est titulus: De æquinoctio juxta Anatolium, ad fratrem Wirbedam presbyterum scripta, quæ incipit: Libenter accepi literas tuæ benignitatis, & cætera, habet ista prope finem post prolixam eam de re disputationem: Ut te exemplis ad invenendam instruat feriam, quæ decima quarta occurrat luna (utputa) anno præsentis Dominicæ Incarnationis septingesimo septuagesimo sexto: sume epactas hujus anni, & cætera, docens eo anno lunam decimam quartam fuisse quinto Idus Aprilis, Dominicum verò diem Paschæ decimo octavo Kalendas Maii. Cum igitur dicto anno Redemptoris septingentesimo septuagesimo sexto ea Beda scribere se testetur; utique affirmare necesse, ut dictum est, pervenisse saltem ad annos ætatis centum quinque. Nec est, quod quis dicere possit per errorem in numerum irrepisse: siquidem idem designatus Annus ad amissum concordat cum tabulis Astronomicis in circulo decennovenali decimo tertio, in quo dictis diebus æquè ponitur luna decima quarta, & dies Paschæ.*

Sic igitur ejus Epistola auctoritate, quam Beda adscribunt omnes, apparet, longè diuturniorem vixisse ætatem, quam tradant alii. Certè quidem se multum vixisse, diem obiturus testatus est, exsatiatus ætate longæva, et proxime dicturi sumus. Quod si hæc de longa Bedæ ætate non placent, ut nova & hæctenus inaudita; tunc incumbit labor his, qui negant, non esse Bedæ citatam nuper Epistolam, falsoque recenserit inter ipsius scripta, monstrare; & nos veriora præmentis hæc inviti acquiescimus, parati semper sequi firmiora tradentem. Hæc Baron.

Transitus ejus ad Dominum ex hac vita qualis fuerit, & quando contigerit, illa germana ac sincerissima Epistola unius cujuspiam ex discipulis ejus, qui morienti adfuit, indicat, quam hic integram subjicimus.

Munusculum quod misisti, multumque gratanter literas tuæ devotæ eruditionis legi, in quibus, quod maxime desiderabam, Missas videlicet, & orationes sacrosantas, pro Deo dilecto patre ac magistro Beda, à vobis diligenter celebrari reperi. Vnde delectat magis pro ejus charitate, quam fretus ingenio, paucis sermonibus dicere, quo ordine migravit à seculo, cum hoc etiam te desiderasse, & poposcisse intellexi. Gravatus est quidem infirmitate, & maxime creberrimi anhelitus, sed tamen penè sine aliquo dolore, ante diem resurrectionis Dominicæ, id est, ferè duabus hebdomadibus. Et sic postea lætus & gaudens, gratiaque agens Deo omnipotenti die & nocte, imò horis omnibus, usque ad diem ascensionis Dominicæ, id est, septimo Idus Maii vitam ducebat, & nobis discipulis suis quotidie lectiones dabat. Quicquid autem reliquum diei fuit, in Psalmorum cantu, prout poterit, se occupabat. Totam verò noctem lætus in orationibus, & gratiarum actione Deo ducere studebat, nisi tantum modicus somnus impediret: itemque evigilans statim consueta scripturarum modulamina ruminabat, extensisque manibus Deo gratias agere non est oblitus. Verè fateor, quia neminem alium unquam oculis mei vidi, nec auribus audivi, tam diligenter gratias Deo vivo referre. O verè beatus vir! Canebat autem sententiam sancti Pauli dicentis: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, & multa alia de sacra Scriptura, in quibus nos à somno animæ exurgere præcogitando horam ultimam admonebat. Et in nostra quoque lingua, ut

erat

erat doctus in nostris carminibus, dicens erat de terribili exitu animarum à corpore. Cantabat etiam Antiphonas ob nostram consolationem & suam, quarum una est: *O Rex gloria, Domine virtutum.* Cum venisset autem ad illud verbum: *Ne derelinquas nos orphanos:* prorupit in lachrymas, & multum flebat. Et post horam cœpit repetere, quæ inchoaverat, & sic per totum diem faciebat. Et nos quidem audientes, luximus cum ipso, & flevimus. Altera vice legimus, altera vice ploravimus, imò cum fletu legimus. In tali lætitia quadragesimales dies usque ad diem præfatam deduximus. Et ille multum gavilus est, & Deo gratias referebat, quia sic meruisset infirmari. Et sæpe dicebat: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Et sententiam Ambrosii: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.*

In istis autem diebus duo opuscula memoriz digna, exceptis lectionibus, quas quotidie accipimus ab eo, & cantu Psalmorum facere studuit, id est, à capite Evangelii sancti Joannis, usque ad eum locum, in quo dicitur: *Sed hæc quid sunt inter tantos?* in nostram linguam ad utilitatem Ecclesiæ Dei convertit. Et de libris Isidori Episcopi excerptiones quasdam dicens: *Nolo ut pueri mei mendacium legant, & in hoc post meum obitum sine fructu laborent.* Cum venisset autem tertia feria ante ascensionem Domini, cœpit vehementius ægrotare in anhelitu, & modicus tumor in pedibus ejus apparuit. Totum tamen illum diem docebat, & hilariter dicebat, & nonnunquam inter alia dixit: *Discede cum satisfactione, quia nescio quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* Vnde nobis videbatur, ne forte exitum suum bene sciret, & sic noctem in gratiarum actione pervigil duxit. Et mane illucescente, id est, quarta feria, præcepit diligenter scribi, quæ cœperamus, & hoc fecimus usque ad horam tertiam.

A tertia verò hora ambulavimus cum reliquiis Sanctorum, ut consuetudo illius diei præcebat, & unus ex nobis erat cum illo, qui dixit ei: *Adhuc capitulum unum de libro, quem distasti, decest, & videtur mihi difficile tibi esse, plus te interrogare.* At ille inquit: *Facile est, accipe calamum tuum, & tempera, festinanterque scribe:* & ille fecit ita. At nona hora dixit mihi: *Quaedam pretiosa in mea capsella habeo, id est, piper, oraria & incensa: sed curre velociter, & adduc Presbyteros Monasterii nostri ad me, ut & ego munusculi, qualia mihi Deus donavit, illis distribuam.* Quod & cum tremore feci. Et præsentibus illis locutus est ad eos, unumquemque monens & obsecrans, Missas & orationes pro se diligenter facere.

Quod illi libenter se facturos responderunt, lugebant autem & flebant, maxime à verbo quod dixerat, quia æstimaret, quòd faciem ejus non multò amplius in hoc seculo visuri essent. Gaudebant autem de eo, quod dixit: *Tempus est, si sic factori meo videtur, ut ad eum modò absolutus ex carne veniam, qui me, quando non eram, ex nihilo formavit. Multum tempus vixi, beneque mihi pater judex vitam meam prævidit, tempus absolutionis meæ prope est. Etenim anima mea desiderat regem meum Christum in decore suo videre.* Sic & alia multa utilitatis causa ad nostram ædificationem locutus, diem ultimum in lætitia usque ad vesperum duxit. Et præfatus puer nomine Wilberch adhuc dixit: *Magister dilecte, restat adhuc una non descripta.* At ille: *Bene, inquit, consummatum est, veritatem dixisti. Accipe caput meum in manus tuas, quia multum me delectat sedere ex adverso loco sancto meo, in quo orare solebam, ut & ego sedens patrem meum invocare possim.* Et sic in pavimento suæ casulæ decantans: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* & cætera, ultimum ex corpore exhalavit spiritum. Atque sine dubio credendum est, quia pro eo, quòd hic semper devotissimus in Dei laudibus laboraverat, ad gaudia desideriorum cælestium anima ejus ab Angelis portaretur. Omnes autem, qui audierunt & viderunt obitum Bedani patris nostri, nunquam se vidisse alium in tam magna devotione, atque tranquillitate vitam finisse testabantur: quia ut audisti, quousque anima in corpore fuit, *Gloria Patri,* & alia quædam ad gloriam Dei cecinit, & manibus expansis Deo gratias agere non cessabat. Scire autem debes, quia adhuc multa narrari & scribi possent de eo, sed nunc breviter sermonis ineruditio linguæ meæ facit. At tamen cogito Deo adjuvante, ex tempore plenius de eo scribere, quæ oculis vidi, & auribus audivi.

Epitaphium etiam quidem, egregiæ tamen sanctitati ac doctrinæ tanti viri non satis conveniens, extat tale:

*Presbyter hic Beda requiescit, carne sepultus,
Dona Christe animam in cælis gaudere per avum;
Daque illum Sophia debriari fonte, cui jam
Suspiravit ovans intento semper amore.*

Qui hos versus primus reddidisse reperitur, vetus affectator Bedæ in historia Anglicana, ita mox jure expostulat: (Poteritne, inquit, ulla excusatione hic pudor extenuari; ut nec in eo Monasterio, ubi illo vivente totius literaturæ exultabat Gymnasium, potuerit inveniri homo, qui memoriam ejus formaret, nisi exili & miserabili stylo;) sed illud detentius, quod finxit sibi fabula epitaphium Bedæ, de quo hæc in vita ejus, quæ à Petro describitur in Sanctorum Catalogo; Alius discipulus ejus, cum, ipso defuncto, titulum sepulchro facere disposuisset unico carmine leonino, sic incipiens: *Hæc sunt in fossa,* & vellet finire, *Bedæ sancti,* vel *Presbyteri ossa;* nec metrum stare posset, & nullum aliud vocabulum eidem occurreret; atque diutius tandem ivit dormitum. Et ecce manè in tumulo manibus Angelicis reperit scriptum:

Hæc sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa.

Hæc auctor dum causam affert, cur Beda non, ut alii, Sanctus dictus sit, sed Venerabilis, ad quod astringendum ista quoque adducit: Cum ex nimia senectute oculis caligasset, & discipulo duce ad lapidum congeriem pervenisset, discipulus ei suadere cœpit, quòd magnus illic esset populus congregatus, qui summa affectione & silentio ejus prædicationem expectabat. Cumque sanctus ferventi spiritu elegantissimum

sermonem fecisset & conclusisset, per omnia sæcula sæculorum: Lapidēs responderunt, Amen Venerabilis Beda. *Hæc tibi de indito ipsi cognomento Venerabilis, De quibus cum nihil Beda affectator discipulus dicat, post ipsum ista excogitata esse videri possunt, quæ nec à Tritheimio esse recepta noscuntur.*

Porrò ista quidem vel ex eo saltem erroris redarguuntur, quod ejusmodi titulus, Venerabilis, communis alio qui presbyteri omnibus, incognitus majoribus fuisse videtur, qui eundem Bedam non isto, sed alio titulo nominarunt: siquidem Hildwinus in Areopagitico, auctor ejusdem sæculi, ipsum, sanctum Bedam presbyterum nominat, sicut & Marianus Scotus, cum de ipso ait: Sanctus Beda presbyter Anglicus, computatur, his temporibus clarus habetur.

Albinus Flaccus & ipse Anglus, atque ejusdem temporis scriptor, cum eum citat, Bedam Sacerdotem doctorem eximium appellat, in libro de divinis officiis: & Amalarinus, qui & ipse eodem sæculo vixit, citans sæpè Bedam, nunquam eo titulo, Venerabilis, ornatur, sed potius honoris causa, interdum Dominum Bedam appellat. Usuardus qui & eodem vixit tempore, simpliciter absque illo, Venerabilis, titulo nominat Bedam; adeo ut appareat inanis ea, quæ asseritur ejus tituli causa. Porrò vitam Bedæ à Cuthberto Abbate scriptam fuisse, Molanus testatur, sed carere ea, maximo detrimento veritatis. Tanto doctore jure semper gloriosa est sancta Ecclesia Anglicana: quem cum rejiciant filii desertores, qui, loco ipsius Pseudoapostolos a errantes, & in errorem mittentes, abeuntes retrò post satanam sunt secuti: in futuro sæculo ante iudicium magis Dei, tanto instante accusatore sententiam damnationis accipient. Baron.

a Iud. Epist.

Laudavit eum laudatissimus vir sanctus Bonifacius Germaniæ Apostolus, in Epistola ad Cuthbertum Abbatem ejusdem monasterii, his verbis: (In reera rogamus, ut aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris scripturarum Bedæ Monachi, quem nuper in domo Dei apud vos vice candelæ Ecclesiæ, scientiâ scripturarum fulsisse audivimus, conscripta nobis transmittere dignemini: & si vobis laboriosum non sit, ut donum unum nobis grande solatium peregrinationis nostræ transmittatis.)

*Partem unam.

Et in Epistola ad Egbertum Eboracensem Archiepiscopum in his verbis: (Modo autem inhiante desiderantes flagitamus à vobis ad gaudium, ut memores nostri eo modo, quo & ante mecum fecistis, aliquam particulam, vel scintillam de candelâ Ecclesiæ, quam illuxit Spiritus sanctus in regionibus provinciæ vestræ, nobis destinare curetis; id est, ut de tractatibus, quos spiritualis presbyter & investigator sanctarum scripturarum Beda referendo composuit, partem qualemcunque dignemini mittere. Maximè autem (si fieri possit) quod nobis prædicantibus habile, & manuale, & utile esse videtur super Lectionarium annivertarium, & Proverbia Salomonis, quia commentarios super illa eum condidisse audivimus.)

Vulgatam editionem sacrosanctæ Scripturæ, velut alter Spiridion acerrimè semper defendit, Nam cum in Actis Apostolorum pleraque ex Græco aliter quàm vulgata haberet, transtulisset, hanc confessionem præmississe voluit: *Lectionem, inquit, admono, ut hæc ubicunque fecerimus, gratia eruditionis legat, non in suo tamen volumine velut emendatã interferat, nisi forte ea in Latino Codice suæ editionis antiquitus sic interpretata repererit.*

Libro illo, quem Eusebius Pamphili de Paschate scriptum Constantino obtulit deceptus, per errorem scripsit libro de rat. temp. cap. 42. Eusebium Pamphili fuisse auctorem numeri illius, qui Aureus nuncupari consuevit, decem & novem annorum periodum continens, quem teste S. Ambrosio, Epist. ad Episc. Provinc. Æmiliæ à Patribus Nicæni Concilii, & potissimum Alexandrinis Episcopis concinnatum esse constat. Id quod scribit de Augustino Anglorum Episcopo, post Anglorum conversionem factam ad Ætherium Episcopum Arelat. in Galliam misso, ut ab eo Episcopus ordinaretur, Sancti Gregorii testimonio corrigitur, qui in Epistola 30. lib. 7. testatur, illum à Germaniæ

Episcopis ordinatum fuisse Episcopum, priusquam Angliam intraret.

FINIS VITÆ BEDÆ.

ELENCHVS PRIMITOMI.

Unabula grammaticæ artis Donati	Pagina 1
De octo partibus orationis, liber	14
De arte metrica, liber	25
De schematibus Scripturæ, liber	42
De tropis sacre scripturæ, liber	47
De orthographia, liber	53
De Arithmetis numeris, liber	72
De computo dialogus	85
De divisionibus temporum, liber	89
De arithmetis propositionibus	100
De ratione calculi	111
De numerorum divisione	123
De loquela per gestum digitorum, libellus	127
Bridferti Rameiensis in eundem libellum commentariolus	128
Joannis Noviomagi scholia in eundem	129
De ratione unciarum, libellus	141

Bridferti commentariolus in eundem	142
De argumentis lunæ	143
Ephemeris, sive computus vulgaris	169
De embolismorum ratione computus	215
Decennovenales circuli	254
De cyclo paschali	321
De mundi cœlestis terrestrique constitutione, liber	324
De musica theoricâ	344
De musica quadrata, seu mensurata	351
De circulis spheræ, & polo	365
De planetarum & signorum cœlestium ratione	369
De tonitruis, libellus	387
Prognostica temporum	390
De mensura horologii, libellus	392
De astrolabio, libellus	394
De nativitate infantium, libellus	397
De minutione sanguinis, libellus	398
De septem mundi miraculis, libellus	401
Hymni	407
De ratione computi, libellus	418